

(c) *Cautionis effectus* est, quod hac ratione damnum præveniri, & sumtibus majoribus parci queat commodè. Hac siquidem ratione evitatur damnum & interitus rei, dum per hanc cautionem alter, qui petit rem istam sibi restitui, obligatur ad resarciendum damnum, & præstandum rei interitum, ut si fortean illa pereat, istius æstimationem solvere velit. Præterea quoque tam magni sumtus hîc non requiruntur, quàm si res in judicio ali, vel etiam ad ejus conservationem cura major impendi debeat.

II. Quod si uterque tam Actor, quàm Reus ad cautionem istam se offerat, tum Reo potius, quàm Actori res concedenda est. Ratio hujus Constitutionis non tantum habetur in illa communi regula, quod rei partes sint favorabiliores. *l. 125. ff. de R. I.* Sed etiam fundatur in præsumptione; eo ipso enim, quod actori rem illam reposcenti in judicio respondet, præsumitur, quod fuerit in possessione: in qua ille relinquendus est, donec aliud per sententiam contra ipsum pronuncietur, & ita ipsi possessio adjudicetur.

III. Quod si verò dubium hac de re enascatur, scilicet, cuinam tempore litis pendentis possessio relinquenda sit, tum Prudentum judicium ac consilium requirere tenentur judices, ne ipsi in decidenda possessionis causa quoad rem furtivam aberrent. Illi enim possessio adjudicanda est, qui majore quadam probatione nititur: Si itaque Reus fortioribus argumentis possessionem rei furtivæ probare possit, quàm Actor dominium: tum reus in possessione, præviâ tamen cautione, relinquendus est; Sed pro ratione circumstantiarum illud requisiti Jcti considerabunt, & certum consilium, quo pacto lis istæ de possessione rei furtivæ commodè decidenda veniat, suppeditabunt.

## ARTIC. CCXI.

*Si res furtiva apud furem; rapta apud raptorem  
concipiatur.*

So gestohlene oder geraubte Güter beyhm Diebe oder Rauber  
werden angetroffen.

**W**urde aber obgemeldter angezogener / gestohlner oder geraubten  
Güter halb / jemand mit bösem Glauben und Verdacht dabey  
betretten / und der Ankläger gegen dem oder denselben peinlichs  
Rechtens begehrt / oder aber der Richter deßhalb von Amptswegen / ge-  
gen